

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Clarissimo uiro, prudentia & uirtute praestanti, D. Michaeli Meyenburg,  
amico suo praecipuo & charissimo, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Clarissimo uiro, prudētia & uirtute præstanti, D. Michaeli Meyenburg, amico suo præcipuo & charissimo,

*Saub. p. 563.*

S. D.

Clarissime & honestissime uir, et amice charissime. Toties prædictū est, non in sanaticis uaticinijs, sed in uerè diuinis oraculis, in hac ipsa mundi senectā, in quam inci dimus, maiores imperiorū & Ecclesiæ mutationes futuras esse, quā fuerūt antea. Idq; uoluit Deus præmonere, ut simus diligentiores in querenda ueritate, & firmiores, & petamus & expectemus auxilium Dei. Etsi igitur terribilis est Aquilæ aduentus: tamen nos cōsulemur agnitione Dei, et conscientia rectæ uoluntatis, quòd quaesiuimus ueritatem, & spe auxilij diuini nos sustentemus. Nec dubito seruaturum esse Deum Ecclesias: etiamsi aliqui crucem cum Cyrenæo gestabunt. Ego longè magis inter nostros interfici uolo, quā cum illis esse coniunctus, quorum talis est uoluntas, qualis est nostri ciuis, qui scripsit epistolam, quā huic chartæ inclusi. Statim à paschate ad uos cum filio decreui. Tamen in uijs periculum erit, si hostes propius accesserint. filium possum in uicinā Marchiam ad fideles & perspectos amicos mittere, uel in oppida ducis Lignicij. Ego me in Marchiam non conferam, etiamsi amanter locutus est mecum Marchio nuper, ut in Francofordianā Ace

B 5 demiam

demiam me conferrem. Deus hæc pericula gubernet, & ut gubernet toto eum pectore oro: etiam ut uos & nostros seruet incolumes. Bene & feliciter ualete. Data die agonis filij Dei ad montem O-

1547. uicti, in qua pro nobis etiam Patrem placauit.

Clariss. & integerrimo uiro, prudentia  
& uirtute præstanti, domino Michaeli  
Meyenburg, amico suo chariss.

S. D.

Charissime & integerrime uir. Quadraginta  
Ioachimicos iam missos, mox tradidi Erasmo Be-  
nedicto, pedagogo filij uestri. Nam Dei beneficio  
adhuc aliquid uiatici habeo: & quod antes misi-  
stis, adhuc integrum est. Ago autem gratias uobis  
pro perpetua beneuolentia, & multis beneficijs ue-  
stris. Filius uester nunc iterum mihi a sedit in men-  
sa: & cum hic occasionem habeat, studeo eum rectè  
institui. Discit enim diligenter Dialecticam & A-  
rithmeticam: & utilius est eum manere in hoc loco,  
donec nobis hic tranquillitas cõceditur, quã Deus  
hactenus mirabili bonitate nobis largitur. Etsi scio  
Mauricianos nominatim de me interficiendo locu-  
tos esse, cum quidem ego neminẽ unquã adiunctum  
duci Mauricio læserim, & ipsius Academijs & Ec-  
clesijs mediocriter seruierim. Sed scriptũ est: Om-  
nes capilli capitis uestri numerati sunt. Hac con-  
solatione